

Volebat enim Galeatius in sinu prope Florentinorum aliam Urbem habere; ut & illi Mantuanum imperio suo finitimum. Et quamquam pax esset, tamen infida ab utriusque existimabatur. Eodem Anno jam Albericus Cunii Comes ex regno Neapolitano profectus in Hetruriam venerat, exercitumque coegit. Nam post pugnam in Calabria male habitam sui ferme sine equitibus, & rerum inopia coacti eum sequebantur. Itaque complures etiam militiae doctos sibi adseverat, in quibus erat Hestor Vicecomes, Tarantola, Scorpius, Johanninus Lucensis, Sfortia, Michelettus, & Bosius Attendoli, qui cum Sfortia militaverant annis fere duobus cum Alberto Marchione Ferrariensium, ut suo loco dicemus.

Anno 1393. paululum Hetruriam quievit à bellis. Eodem Anno Johannes Aucus Florentiae moritur, honorificeque statua loricata ex militiae more sepultus est in Ecclesia Cathedrali. Romani coacti suorum magna manu, contra Johannem Sciarram Viterbii imperitantem euntes, ab equitibus Brettōnum invasi, se se tam magnis animis defenderunt, ut Brettōnes fugerent; deinde Viterbii castrametati sunt. Præerant ea tempestate Brittones Montifalisco, & in dies contra Romanos excursionses factæ. Tandem Pontifice intermedio Johannes domino amisso, Pontifex Romanorum voluntate Præfectus Viterbiensium factus est. Romani deinde Romanam redierunt. Albertus Ferrariae Dominus ea tempestate moritur, & Nicolaus ejus filius paucos natus annos ei successit in omni suo imperio. Perusini eo Anno multis fœdis & crudelibus seditionibus se interemerunt, ita ut pene ea Civitas sine cultoribus remanserit, altera factionum, modo altera invadente, mox hac illam cædente. Antonius Adornus à Spinolis adiutus Genuæ Ducatum sibi adsevit, amoto ab eo Antonio Montalto. In Piceno quoque motus erant. Nam frater Bonifacii Pontificis castra habebat in agro Corneti. Gentilis Varanus ejus loci Dominus, accessit Biordio Perusino, per arcem Castellum, quod obsidebatur, ingressus fratrem Pontificis cepit: deinde plura Piceni agri Castellum, Civitatesque eorum ditionis.

Anno 1394. Ladislaus Neapolitanorum Rex cum equitibus quatuor millibus, & sex millibus peditibus Neapolim obsedit. Deinde accito Bracha Viterbiensi, qui equites sexcentos habebat, ex alia parte Urbem circumibat. Quumque stativa per mensem habuisset, nihil proficeret, inde discessit, Cajetamque rediit. Eodem Anno Thomas Dux Venusinus Ladislao infensus, quum minui in dies vim Andegavensium intelligeret, persuadet Loiso Andegavensi, ut sibi matrimonio copulet Margaritam Thommasii Marzani filiam, formâ excellentissimâ omnium: quæ etiam opibus pollebat. Ea re sequuta Thommasius à Ladislao defecit. Cui quum Loisus mille misisset equites, agrum Campanum ex Sueffa infestabat, nihilque in ea regione pacati relinquebat. Hoc etiam Anno magni motus in tota pene Italia facti sunt. Nam mortuo Alberto Ferrariensium Duce, cui Nicolaus successerat, Azzius, qui ex eadem erat familia, suspectus Alberto, & deinde Nicolao, ob imperium Ferrariae

A affectatum, Venetiis in exilium datus est, moxque Florentiam venit, ubi à nonnullis adjunctus, ardens cupiditate regnandi, clam Florentiam abiens, in Flaminiam se contulit, & in Ravennati, deinde in Mutinensi agro cuncta ab amicis adjunctus subvertit. Hi Azzio favebant exposcenti Nicolai tutelam. Deinde Forolivienfes & Johannes Barbiani Comes, qui magnum equitatum ducebat, Azzium domi acceperat, enixeque juvabat. Ex quo plures Oppidorum defectiones ab ea regione sequutæ sunt. Sed in Mutinensi alia manus valida, quibus Philippus, & Maraboldus Pisani præerant, freti accolarum favore, & ipsi plurima Oppida à Nicolao alienarunt. Alia deinde equitum manus in Hetruria, ducibus Broglia & Brandolino, Gorgoniam Aretiniagri furto occupaverant, unde plures inde excursionses factæ Aretii & circum ea loca. Ob eam rem Decemviro, qui curam belli Florentiæ ob pacem sequutam intermissi fuerant, creari placuit. Hi equites contra Brogliam miserunt, ut à populationibus eum arcerent, aliamque equitum manum Conrado duce Ferrariam miserunt. Existimabant enim id bellum à Galeatio machinatum. Nam qui Gorgoniam occupaverant, ab eo paulo ante dimissi fuerant, & à Senensibus suis amicis com meatu & ceteris rebus necessariis juvabantur. Azzium verò nequaquam per se potuisse aggreffi Ferrariensem putabant. Huic bello Florentini omnibus modis intenti. Bononienses verò metu perterriti, aut Azzii amicitia permoti, nil movebant. Eodem tempore Legati Imperatoris Patavium, & deinde Mantuam venerunt; referuntque se intellexisse bellum, quod haud dubie imminerebat; retenturum omnino & Mediolanensis potentiam coerciturum, dummodo cum Vincislao eorum Domino, qui non solum Imperator erat, sed etiam Boëmiæ Rex, fœdus percuterent. Ad hæc Legatorum dicta Patavinus & Mantuanus inclinabantur. Florentini verò has pollicitationes omnino rejiciendas putabant, asserentes, periculosum esse, ad Galeatii potentiam refræmandam alium potentiorum in Italiam superinducere. Hoc consilium ut tutius videbatur. Responsum est Oratoribus, Galeatium paci studere: nec dum bellum contra eos motum; quod si fieret, tunc eos suis pollicitationibus esse ufuros. Post hæc dicta Legati ad Regem Galliarum Carolum profecti sunt, eadem ferme postulantes, existimantes se posse illius amicitia Galeatii dominium sibi subjicere. Re tamen infecta Legati ad Imperatorem redire. Eo item Anno Narnium à Johanne Theutonico copiarum Duce earum, quæ per Italiam vagabantur, direptum est; & paulo post equites Pontificis, qui per arcem intromissi in Civitatem fuerant, quod reliqui miseris civibus superfuert, abraferunt. Hæ latronum manus per Picenum, Ducatumque Spoletanum, atque Flaminiam plures excursionses fecere. Carolus Gallorum Rex quum Genuenses bello vellet sibi subjicere, quos ab Antonio Adurno emerat, Oratores Florentiam misit, ne id eos moveret, neve suspicionem aliquam ea de causa fumerent. Orare tantummodo & petere à Florentino Populo, ne illi se opponant, neve Genuenses aliquo prosequantur favore. Ad hæc quum

B

C

D

E